

**05**

**A**

**990**









Q. D. B. V.  
DISPUTATIO JURIS CANONICI,  
DE  
**DISSENSU SPON-**  
**SALITIO**

*Ad*  
C. Præterea 2. X. de Sponsal.

*Quam*  
*Consentiente Amplissimo ꝛctorum Collegio*  
IN ACADEMIA WITTEBERGENSI  
PRÆSIDE

**DN. SAMUELE STRYKIO, D.**

Com. Pal. Cæsar. Consiliario Elect. Saxon.  
& Brandenburg. Facultatis Juridicæ  
ORDINARIO.

*PARENTE SVO VENERANDO*

IN AUDITORIO MAIORI.

*Die XX. Mart. M DC XCI.*

publico Eruditorum examini submittet

**JOHANN. SAMUEL STRYKIUS,**

Francof. March.



WITEMBERGÆ, ex officina JOANNIS VVILCKII.

J 2142



OD. R.N.  
DIPLOMATO JURIS CALONIAE

DISSERTATION

DE

CAUSIS

CONSTITUTIONIS

REPUBLICAE



DR. J. D.

1800

05 A 990

1800

1800

1800







Acer ille nexus est, quo sibi constringuntur invicem desponsati: Inde non ausu temerario violanda semel data fides, quippe cum hujus contempta religio satis Deum ultorem habeat, ut in simili monet Imp. Alexander *L. 2. C. de reb. cred.* Et perfidia reos ex merito illos postulat Constantinus Imp. *L. 4. C. Theod. de Spons.* Ut ea propter ferè mirandum sit, quam ob causam foeminae alii desponsatae licentiam renunciandi, & alii nubendi concesserint Imp. Diocletianus, & Maximianus *L. 1. C. de Sponsal.* Verum enim verò sicuti libera illa à fide Sponsaliorum discessio apud nos merito reprobata; ita rigor ille nimius, quò ad fidem servandam constringi solent desponsati, dum vel mulctâ, vel carcere, aliisve remediis contra contumaces proditis, ad consummandum matrimonium adiguntur, non rarò intempestivus est. Quippe non desunt exempla tragicorum eventuum, ubi non saltem quotidianis jurgiis, verberibusque, sed & adulteriis, imò & homicidiis ansa tali conubio suppeditata. Quam ob causam Innocentius III. Pontifex compulsionem illas non sine justissima ratione voluit interdictas *Cap. 2. X. de Sponsal.* Asthæc



sanctio Pontificia vulgarem & erroneam illam rece-  
pit interpretationem, quasi Pontifex de solis Spon-  
salibus, quæ de futuro appellant, loqueretur: Unde in  
his dissentiendi licentiam Consistoria quidem adhuc  
indulgent; in illis verò, quæ de præsentibus appellant,  
nullum dissensui locum relinquunt, sed invitos quan-  
doque & renitentes per Ecclesiæ Ministros conjun-  
gunt. Sanè latitant in vulgatissimâ Sponsaliorum  
materiâ nævi, quos ex Juris Canonici salebrosâ inter-  
pretatione retinuimus inter Evangelicos, qui tamen  
censurâ omnino digni, si non penitus tollendi. Non  
excurrere lubet in absurdam illam graduum compu-  
tationem à Canonistis inventam, à nostratibus tamen  
defensam, & in Consistoriis retentam, contra opti-  
mam Juris nostri Cæsarei, cum Jure divino conspiran-  
tis, rationem. Nec inquiram in consecraria illa ex  
falso Pontificiorum principio: *Matrimonium esse Sa-  
cramentum*; propullulantia, quæ exploso licet illò  
ab Evangelicis principio, in Scholis quandoque & foris  
inculcantur. Saltem ostendendum hâc vice, reten-  
tam illam inter Sponsalia de præsentibus & de futuro dif-  
ferentiam, prout ex Canonistarum sententia propo-  
nitur vulgò, variis opinionibus, vix in forò tolerandis,  
ansam dedisse. Faciam id verò occasione famosi il-  
lius *C. Præterea 2. X. de Sponsal.* cujus argumento o-  
stendam, quâ ratione à Sponsalibus vel unius de-  
sponsatorum, vel utriusque dissensu mutuo à fide data  
refi-



resilire fas sit. Hic verò, dum utimur libertate illâ, quæ in Cathedra Academica indulgeri solet aliis, nemo nobis vitio vertet, si alicubi modestè discedamus à receptâ in foro opinione. Utrobiq; enim iudicium lectori candido saluum relinquimus, an assensu dignari nostras theses, an illas reprobare velit. Deus verò exoptatos suscepti laboris largiatur successus.

*C. Præterea 2. X. de Sponsal.*

INNOCENTIUS III.

EXON. EPISCOP.

**P***Præterea hi, qui de matrimonio contrahendo purè & sine omni conditione fidem dederunt, commonendi sunt, & modis omnibus inducendi, ut præstitam fidem observent. Si autem se ad invicem admittere noluerint, ne fortè deterius inde contingat, ut talem scilicet ducat, quam odio habet: videtur, quod ad instar eorum, qui societatem interpositione fidei contrahunt, & postea eandem sibi remittunt, hoc possit in patientia tolerari.*

A 3

CAP.





## SECTIO I.

De

# FUNDAMENTO OBLIGATIONIS SPONSALITIAE.

§. I.

Unde nascatur obligatio?

**Q**Uod quondam monuit Julianus, in *L. 52. §. 2. ff. ad l. Aquil.* in causa jus esse positum, illud merito ad cujusvis obligationis nexum applicamus. Jus quippe obligationem producens, ex facto nascitur; cum citra factum nostrum alteri in rem vel personam nostram jus quoddam competere nequeat, *arg. l. 11. ff. de R. J.* Unde ex re ipsa constituendum, quid Juris subsit, *L. 1. § 3. ff. ad l. Corn. de Sicar.* Idem hoc in obligatione sponsalitia indagandum, quale illud factum sit, ex quo inter desponsatos nascatur obligatio; ex cujus qualitate, quousque sibi invicem constringantur, & an post consensum semel præstitum ullus supersit poenitentiae locus, ferendum est iudicium.

§. II.

Obligatio-  
nis conge-  
nita.

Eqvidem non nego, dari obligationes, quæ non ex facto præcedente, sed ex connatò nobis jure oriuntur, quas ea propter congenitas appellat Celeberr. Dn. de



de Pufendorff. *Tract. de Jur. Nat. & Gent. Lib. 3. c. 4. §. 4.* quorsum pertinet obligatio illa hominis ad colendum DEUM: Attamen cum in presenti de obligatione hominis erga hominem disquiramus, vix dabitur casus obligationis, ubi non precedat factum aliquod illam producens, sive naturale, sive civile, & hoc vel licitum vel illicitum. Prout enim factum LL. conforme, eatenus obligationem parit contra alterum, ad pacti fidem servandam: Prout verò LL. adversum vel illicitum, eatenus alteri acquiritur obligatio, mediante quâ damni reparationem ab auctore facti reprobati exigere valeat.

## §. III.

Nec est, ut Sponsaliorum nexus ex ipso naturali instinctu ad ineundem matrimonium repetatur, dum maris & foeminae conjunctionem omnibus animantibus naturâ inditam esse, monet Imp. in *pr. Inst. de J. N. & G.* Et omninò ex sanctissimi Creatoris instituto ad est evidentissima generis humani obligatio ad sui propagationem mediante matrimonio. Accedit, quod matrimonium socialis vitæ fundamentum sit, ob quam causam homines ad illud ineundum omninò obligantur, ut hinc per consequens factò aliquò obligatorio hic opus esse non videatur, ad inducendam obligationem Sponsalitiã, utpote matrimonii præparatoriam. Verum quia præceptum illud Creatoris: *Crescite & Multiplicamini*, affirmativum est, insuper indefinitum, & indeterminatum, non poterit illud singulos homines, & quocunque tempore obligare. Dn. de Pufendorff, *d. l. Lib. 6. c. 1. §. 7.* Imò si generatim obligaret, non tamen

An naturalis quædam in Sponsalibus obligatio?



tamen in individuo stringeret certas personas sibi jungendas; sed hic factò opus est, scil. consensione in futurum matrimonium, ex quâ alteri quæratum jus, ad compellendum alterum, quò secum matrimonium inear.

## §. IV.

Ex consensu sibi obligantur Sponsi.

An Jure Romano hic adsit obligatio?

Quapropter ex consensu mutuo illa Sponsaliorum derivanda est obligatio, qui consensus dum ad nuptias sufficit, *L. 30. ff. d. R. 7.* etiam in Sponsalibus efficax esse debet; Inquirendum verò propius erit, an & qualis Jure Romano ex consensu Sponsalitia nascatur obligatio? Responsionem cum ostensione facti obligatorii suppeditabit J. C. Tus Florentinus in *L. 1. ff. de Sponsal.* hæc describendo, quod sint *mentio & repromissio futurarum nuptiarum.* Hotomannus hæc verba immutanda censeret, mutuatam repromissionem substituendo. Verùm refragatur exemplarium fides, & Græci quoque *μνήμην καὶ ἐπαγγελίαν τῶν μελλόντων γάμων* Sponsalia describunt. Add. Bach. *ad Tr. Vol. 2. D. 6. lit. e.* Præcedebat enim mentio seu interpellatio de contrahendis Sponsalibus, quam postea sequebatur repromissio. Sententia tamen Hotomanni circa Florentini sensum omninò admitti potest; sine dubio enim mutuatæ in Sponsalibus adhibitæ fuerunt promissiones, quibus alter alteri desponderetur. Quorsum & illorum tendit sententia, qui Mentionem pro Interrogatione capiunt, eoquæ ipso per contractum stipulationis Sponsalia celebrata fuisse, innuunt.

## §. V.

Qualis

Posterior hæc sententia displicet Cujacio *ad Tit. C. de*



OBLIGATIONIS SPONSALITIAE.

*C. de Sponsal.* qui Florentini verba ad terminos simplicis consensus citra ullam stipulationis solennitatem restringit, & ea propter tam nuptias quam Sponsalia conventionem nudam esse dicit: cum si solâ stipulatione contraherentur Sponsalia, non possent inter absentes, per nuncium, per epistolam, aut aliam quamcunq; personam intermediam contrahi, per *L. fin ff. de Spons.* Quâ sententiâ suppositâ, verissimum omninò fiet, Jure nostro Civili nullam ex Sponsalibus efficacem nasci obligationem, cum pacta nuda jus agendi non producant, eaqve propter non tantum utriusqve, sed unius dissensu impunè dissolvi possint.

*conventio  
adsit in  
Sponsali-  
bus?*

§. VI.

Sanè si ex ipso vocabulo desumendum argumentum, Sponsalia à Spondendo dicta esse vulgò constat; Spondendi verò vocabulum solenne in stipulationibus fuisse, apparet ex §. 1. *J. de V. O.* hinc omnis stipulatio promissioq; Sponsionis nomine venit *L. 7 ff. d. V. S L. 29. §. 2 ff. de Ædil. Edict.* Quod si insuper in Romanorum mores inquiramus, apparebit, non aliter, quam per solennes Sponsiones contracta fuisse Sponsalia, indeq; nomen accepisse, quod ipse Ulpianus testatur in *L. 2. ff. de Spons.* Locus insignis apud Plautum, ex quo Autore non vulgaria Juri Romano interpretando subsidia petuntur, occurrit in *Aulular. Act. 2. Sc. 2.* ubi Megadorus ab Euclione filiam ita sibi Sponsam stipulatur:

*De Spon-  
sionibus.*

*Quid nunc? etiam mihi Despondes Filiam? E. illis legibus.*

*Cum illâ dote quam tibi dixi. M. Spondes ergo? E. Spondeo.*

B

*M. Istuc*



*M. Istuc Di benè vertant. E. ita Di faxint, illud facito ut memineris.*

*Convenisse, ut ne quid dotis mea ad Te afferret filia.*

*M. Memini.*

Ex quo verbo *Memini* explicandum aliqui existimant Florentinum, per *Mentionem* Sponsalia describentem: Verùm illa Florentini mentio præcedebat Sponsalia: Hæc Plautina sequitur, & gestum jam negotium memoriæ commendatum cupit. Similis locus est apud eundem in *Curcul. Act. 4. Sc. 2. in fin.* ubi Phædromus adolescens à milite Planesium virginem stipulatur:

*C. Quid cessas, miles, hanc huic uxorem dare?*

*M. Si hac vult. P. mi frater cupio. M. fiat, C. benè facis.*

*P. Spondesne, miles, mihi hanc uxorem? M. Spondeo.*

*C. Et ego hoc idem unum Spondeo,*

Plura hujus rei exempla, de ratione spondendi Veterum, refert Barn. Brissonus *Tract. de Form. & solenn. Pop. Rom. Verb. Lib. 6 p. m. 543.* Paul. Cypræus *de Sponsal. c. 3 § 3 seqq.* Brouvver *de Jur. connub. l. 1. c. 1 n. 3. & cap. 20, n. 12. seq.* Et sanè credendum non est cum ad omnes alios contractus firmandos, stipulationem introduxerint Romani, eos in re tanti momenti, qualis est promissio matrimonii, nudis promissionibus acquievissent: Imò & repromittendi verbo in eadem materia usus est Plautus loco jam dicto, quod stipulanti promittere rectissime exprimit Celeb. quondam in hac Universitate Philologus Taubmannus in *Not. ad Plaut. Curcul. Act. 4. Sc. 2.* quamvis verbum illud in Jure nostro pro cautione simplici non rarò capiatur, *L. 37. ff. de Evict. L. 45. ff. de Pro-*

*Repromissio.*



*Procur. quorsum pertinet repromissio dotis, L. 72. ff. de Jure dot.*

## §. VII.

Ex adductis verò locis colligi poterit, quo fundamento nitatur Cujacii opinio, existimantis, **MENTIONEM** esse Patris sermonem, cum hoc magis Sponso conveniat, qui Sponsam stipulabatur, & Patri promissio sit applicanda. Spondebat enim Sponsus; repromittendo despondebat Pater. Filix Sponsio regulariter intercedebat nulla, licet nec invitata desponderetur, sed Sponsio Patris ipsi filix proderat; quod & hodiè adhuc usu venire solet, ubi pacta dotalia non subscribit filia, & tamen ex subscriptione Patris obligatur validè, & jus agendi inde consequitur, *L. 7. C. de pact. convent.* imò etiam si Parente destituta filia, ipsa tamen non spondebat, nec respondebat, sed à Tutore, aliove ex cognatis despondebatur, quod ex superiori exemplo militis apud Plautum sororem despondentis apparet. Conf. Hotomanus *de Vet. Rit. Nupt. cap. 9.* Henr. Brouyver. *de Jur. Con. nub. lib. 1. cap. 1. n. 24.*

*Sponsio-  
nes à qui-  
bus inter-  
posita?*

## §. IIX.

Non obscurum itaque amplius erit, accedente illà spondendi ratione, quæ per stipulationem expeditur, actionem ex stipulatu nasci ad implendam promissi fidem: Omne enim factum honestum in stipulationem deductum, actionem ex stipulatu parit, *L. 2. pr. ff. de V. O. L. 14. 73. & 84. ff. eod.* Nec diversa est ab hac actione illa, quam **DE SPONSU** vocant, cujus ex Neratio **Lib. de Nupt.** meminit Cujacius *ad Tit. C. de Sponsal. p.*

*Actio ex  
stipulatu.*

*Ex Sponso.*



m. 251. quam Sponso datam fuisse dicit, quanti intererat uxorem accipi vel dari: Ex SPONSU enim agere Veteribus idem fuit, quam ex stipulatu per *L. Sciendum 19. §. 2. ff. de Aedilit. Edict.* ubi pro voce Sponso malè Sponsionem substituit Haloander. Quadrant huc omnino, quæ A. Gellius *Noct. Attic. l. 4. c. 4.* ex Servio Sulpitio refert: *Qui uxorem ducturus erat, ab eo, unde ducenda erat, STIBULABATUR eam in matrimonium ductum iri: Qui daturus erat, itidem SPONDEBAT daturam. Is CONTRACTUS STIPULATIONUM SPONSIONUMQ; dicebatur SPONSALIA; Tum quæ promissa erat, SPONSA appellabatur; qui sponderat ducturum, SPONSUS. Sed si post eas STIPULATIONES uxor non dabatur, aut non ducebatur; qui stipulabatur Ex SPONSU AGEBAT, Iudices cognoscebant. Iudex quamobrem data acceptave non esset uxor, quærebat. Si nihil iuste causa videbatur; LITEM PECUNIA estimabat; quantique INTERFUE-RAT eam uxorem accipi aut dari, eum, qui sponderat, aut qui stipulatus erat, condemnabat. Conf. Paul. Cypr. de Sponsal. c. 12. §. 1. n. 2.*

## §. IX.

*Stipulationes hodiè ad sponsalia non adhibentur.*

Hoc verò facilè largior Cujacio, necessitatem illam adhibendi stipulationem in Sponsalibus successu temporis remissam esse: Nam ipse *Jctus L. 2. ff. de Sponsal.* stipulationem illam & Sponsionem ad mores Veterum refert: Non tamen negat, stipulationem adhuc adhiberi posse. Ex quò consequitur, stipulatione adhibitâ, uni ex desponsatis fas non esse ab obligatione Sponsalitiâ



tiâ discedendi, sed utrumq; vi stipulationis validè obligari, de quo mox dicendum pleniùs. Postquam verò permissum, ut simplici consensu contraherentur Sponsalia, Jure Rom. non tanta Sponsaliorum remansit obligatio, cum vix nudi pacti terminos excederent: Et ex hoc tempore, postquam stipulationem solennitas in Sponsalibus remissa, verum esse cœpit, quod asserit J Ctus in *L. fin. ff. de Sponsal.* in Sponsalibus constituendis parvi referre, per se, & coràm, an per internuncium, vel per epistolam, an per alium hoc factum sit; quod non procederet, si stipulatione opus esset, quæ non nisi conceptis verbis inter præsentis expeditur. *L. 1. §. 1. ff. de V. O.*

## §. X.

Cœterùm, an si pacto simplici contracta Sponsalia, inde nostro Jure civili planè nulla nascatur actio, non satis exprimunt Dd. Cujacius *ad Tit. C. de Sponsal. p. m. 253.* pactiones de futuris nuptiis obligationem non producere asserit. Et nescio, an non idem insinuet J Ctus, quando spem nuptiarum ex Sponsalibus nasci dicit, *L. 6 ff. de sponsal.* quorsum pertinet etiam *L. pen. C. de Spons.* ubi speratæ nuptiæ dicuntur Sponsalia; quod indicium est, nondum adesse perfectum obligationis vinculum; simili ratione, quâ de promissione conditionali dicitur, spem esse debitum iri. Conf. Meier, *Colleg. Argentor. Tit. de Sponsal. n. 2.* asserens: Stipulatione non interveniente, Sponsam non dictam esse, sed speratam, vel pactam. *Sperata* enim erat, quæ quidem jam petita, sed nondum promissa: *Pacta* dicebatur, quæ factâ conventionem pro-

*Sponsalia  
simplici  
pacto ini-  
ta.*



missa: *Sponsa* verò quæ interposita sponsione seu stipulatione, promissa. Hotomannus *de Sponsal. cap. 3.* Add. Cypr. *de Sponsal. c. 3. §. 6. num. 2.* De Sponsa destinata videatur Brouvver. *de Jure Connub. l. 1. c. 24. n. 5. seqq.* Ex quò suâ sponte sequitur, nec virginem speratam, nec pactam ullâ actione peti potuisse, cum præter simplicis conventionis terminos nullum subfuerit obligationis vinculum; atqui verò simplex illa conventio præter exceptionem Jure Prætorio concessam, nullum Jus producebat. Et ex hoc omnino defendenda illa Sponsalibus renunciandi licentia, de qua *in L. 1. C. b. t.*

## §. XI.

*An per stipulationem penitentia excludatur?*

Sed inquiri omnino meretur; An postquam simplici conventionem Sponsalia contrahi, & inde renunciandi licentia desponsatis Jure civili relinqui cœpit, stipulatione accedente illa facultas discedendi fuerit sublata? Negat hoc Brouvver *de Jure Connub. c. 2. n. 3.* ubi existimat; Jure novo Quiritum Sponsalia tanquam nudas pollicitationes reputatas fuisse, adeò, ut quamvis stipulatione interjectâ contracta essent, resiliare alterutri integrum fuerit, absque ullo vel in factum vel ad interesse actionis intentandæ metu. Verùm cum nullibi aliquod hujus Juris exstet vestigium, ubi stipulationi super Sponsalibus interpositæ agendi efficacia fuerit denegata, meritò insistimus generalibus illis principiis; ex omni stipulatione super negotio honesto validam nasci actionem, de quò dictum superius §. II. eaqve propter dispositio illa Impp. *in L. 1. C. b. t.* ad desponsationem citra stipulationis solennitatem initam, meritò restringenda. Unde nescio, ex quo fundamento opinionem

onem



onem suam hauserit Scholiastes *Βασιλικῶν Lib. 28. Tit. 1. lit. B.* asserendo; quamvis stipulatio interposita sit, si tamen arrhæ specialiter datæ non sint, à Sponsalibus impunè discedi posse, & provocat ad *L. 5. C. de Nupt.* Verba enim illa aut omninò falsa sunt, aut ad stipulationem pœnalem restringenda; quod scil. hac non obstante, discedi impunè à Sponsalibus possit, nisi arrhæ jam datæ, quarum amissio imminet pœnitenti Sponso.

## §. XII.

Non tamen prætereunda hîc est decisio Jcti Pauli in *L. Titia 134. pr. ff. de V. O.* utpote quæ adductæ jam opinionioni summopere refragari videtur: Sponsalia enim ibi contracta, & stipulatione pœnali confirmata erant, nihilominus cum filia Sponso nubere nollet, actionem ex stipulatu dari negat Paulus; Rationem subjicit; quod illa stipulatio non secundum bonos mores interposita sit, quia inhonestum visum est, vinculo pœnæ matrimonia obstringi, sive futura, sive jam contracta. Verùm non omnis stipulationi super Sponsalibus initæ hîc denegetur efficacia, sed tantùm pœnali, quam solam contra bonos mores esse censuit Jctus; unde notanter in textu respondet; *ex stipulatione, quæ proponeretur*; Ergò simplici stipulatione proposita, nihil contra bonos mores admissum esset, & inde ratio decidendi falleret. Interim omninò mirum est; quare stipulationem pœnalem contra bonos mores esse existimavit Paulus, cum sanè bonis moribus nihil convenientius sit, quàm ut fides de matrimonio data servetur, & si ab altero violetur, ille hoc impunè non ferat. Sed illam sententiam ab ipso Pontifice Gregorio IX. approbatum esse,

*De stipulatione pœnalis.*

*Quid Jure Canonico?*



esse, in *Cap. Gemma 29. X. de Sponsal.* magis mirandum, ubi pariter stipulationem pœnalem rejicit Pontifex subiectâ ratione; *quia libera matrimonia esse debent, ideo talis stipulatio propter pœna interpositionem merito improbanda*, nisi sententiam Pontificis ad casum ibi propositum restringere velis, ubi scil. desponsatio inter impuberes, imò planè infantes facta, qui cum iudiciò facultateq; consentiendi tempore Sponsaliorum destituti fuerint, non debuit per pœna adjectionem libertas dissentendi, postquam ad puberem ætatem pervenerint, ipsis auferri. Quamvis Canonistæ generalius illam pœna adjectionem illicitam dicant, adeò, ut nec in foro conscientia illa debeatur, Barbof. *ad d. C. gemma, n. 2.* De qua materia videri plenius poterit Thomas Sanchez *Tract. de Matrim. L. 1. Disp. 30.* Card. Mantica *Tract. de tacit. & ambig. convent. Lib. 14. Tit. 37. n. 10.*

## §. XIII.

*Vera Sententia.*

*Hodie pœna adijci potest*

Res eò redire videtur, Jure Civili quidem pœnam ea propter Sponsalibus adjiciendam non esse, ne libertas illa à Sponsalibus discedendi tollatur, quæ ibi indulgetur *L. 1. C. de Sponsal.* quamvis postea cum arrharum dispendio Sponsalia confirmare permissum fuerit. *L. ult. C. de Sponsal.* cujus rationem vulgò reddunt, quod arrhæ maturiori consilio dentur, quam pœna promittatur, Sanchez *d. lib. 1. Disp. 35. n. 9.* Covarruvias *de Sponsal. P. 2. c. 2. num. 1.* Jure Canonico autem pœnam tantum prohiberi in Sponsalibus adhuc ineundis, non initis: Et eatenus pœna de non dissolvendis Sponsalibus etiam hodie promitti & præstari posset, Groenvegen *de LL. abrog. ad L. 5. num. 10. C. de Sponsal.* Quod & jam olim olim



olim constituit Leo Imp. in *Novell. 18.* additâ ratione, quod inconstans ille, qui ex pacto definitæ pœnæ gravis damnum sibi obvenire videns, tardior omninò ad divellenda Sponsalia futurus sit. Et quamvis hodiè otiosum videatur hoc pœnale pactum, cum etiam si quis pœnam exsolvere vellet, non tamen à Sponsalibus liberaretur, sed brachio seculari ad consummationem matrimonii adigendus foret: Attamen evenire casus possunt sæpissime, ubi illa compulsio amplius sibi locum non vindicat, e. gr. si sponsus aufugerit, & alibi uxorem duxerit, quo casu justè pœnam exigeret Sponsa, conf. Brouvver, *de Jure Connub. lib. 1. c. 24. n. 26. in fin.* De cœtero supposita illa sententia Dd. communi, pœnam non admittente, verissimum tamen erit, adjectionem pœnæ non vitare Sponsalia, sed vitari, Cypræus *de Sponsal. c. 8. § 19.*

*Sponsalibus.*

*Promissio pœna an utilis sit?*

#### §. XIV.

Satis exinde constare arbitror, quanta Jure civili Sponsaliorum sit obligatio, postquam simplici pacto illa contrahi cœperunt, scil. merè arbitraria, nullo Juris remedio, quo compelli possit refractarius, concessio. Hodiè verò cum Germaniæ moribus major pactorum fides sit, adeo, ut uno ore adstruant: Et omni pacto honesto efficacem nasci actionem, Mevius *P. 5. Decis. 408.* Carpzov. *P. 2. Const. 19. def. 17. n. 8.* extra dubium omninò erit, ex pacto Sponsalicio pariter validissimam actionem nasci, ad matrimonii consummationem. Idem Jure Canonico asserendum: Quamvis enim hic non pauci adhuc in dubium vocent, an illo Jure ex pacto nudo nascatur actio? Hoc enim negat Fachin. *lib.*

*Ex Sponsalibus eadem, quæ ex pacto, actio datur.*

*Quid jure Canonico?*

C

*2. Contr.*



2. *Contr. 160.* Satis evidens tamen textus est in *C. 1. X. de pact.* ubi illa compulsio per disciplinam Ecclesiasticam sine dubio validum jus petendi in forò Canonico supponit, de quo *Vinn. de pact. c. 7. n. 4.* In specie autem ad consummanda sponsalia Conditionem ex Decretalibus dari dicunt, & quidem ex nostro *C. Præterea 2. X. de Sponsal.* Alii actionem matrimonialem hic fingunt. Vid. *Hahn. ad Wesenb. tit. de sponsal. n. 6. ad verb. illud quoq.* Prior tamen conditio sive ex Decretalibus, sive ex Canone, sive ex moribus, Consistoriorumve LL. commodissima est *arg. L. un. ff. de Condict. ex Leg.* Quamvis imploratio officii Judicis in tali casu sufficere possit.

## §. XV.

*Obligatio  
Sponsali-  
tia de Ju-  
re divino.*

De nexu Sponsaliorum ex Jure divino major disputatio est, quo scil. vinculo constringantur Sponsi? Sanè nec hic aliam, quàm quæ aliàs de Jure divino ex quovis pacto nascitur obligatio, quæ omninò validissima est, subesse adverto; & quidem illa eò sanctiùs observanda, quò majoris momenti instans illud matrimonium est, de quò fidem interponunt Sponsi. Hinc negari nequit, Jure divino desponsatos ad matrimonium consummandum validè obligari. Certa verò de Sponsalibus non occurrit constitutio, & textus, qui in hunc finem ex sacris adducuntur, vel exemplum saltem exhibent, vel nihil aliud inferunt, quam fidem de matrimonio datam servandam esse, quod extra dubium est. Hoc quidem non nego, cum plerumq; desponsatio sub in-

VOCA-



vocatione Nominis divini, imò sub juris jurandi religione fiat, nexum sponsalitium eò magis confirmari, quò gravius censetur scelus, fidem invocato Nomine divinò datam fallere, quò sensu vera est sententia Brochmandi *in System. Theol. loc. de Conjug. p. m. 562. sect. 3 in fin.* pactionem de conjugio esse foedus divinum. Verùm idem hic nexus suberit in quocunq; pacto & contractu alio, mediante juramento celebrato. An itaq; si justa causa Sponsalibus superveniat, ea propter vel mutuo vel unius dissensu matrimonii consummatio declinari possit, in sequentibus differendi dabitur occasio.

## §. XVI.

Cum itaq; ex conventionem seu pacto hic nascatur *Sponsalia* obligatio sponsalitia, illa conventio verò vel futurum *de presen-* respiciat, vel præsens tempus, nata inde est distinctio in *ti & fu-* Sponsalia de præsentem, & de futuro, vulgoq; existimatur, *turo,* Sponsalibus de præsentem longè majorem vim obligandi inesse, quàm illis, quæ de futuro sunt, operæ pretium erit, paulisper indagasse illius distinctionis & disparis obligationis genuinum fundamentum. Distinctio illa *Origo dis-* Jure civili incognita, sed à Pontificibus inventa, & au- *stinctionis* ctorem agnoscit Alexandrum III. Pontif. *in c. 3. X. de Sponsa duorum,* circa annum 1159. quæ repetita postmodum ab aliis Pontificibus *in c. ult. X. de conjug. leprof. c. 22. 31. 32. X. de Sponsal. conf. Paul. Cypræus de Sponsal. c. 4. § 3. n. 3.* & adeò invaluit ubiq; illa Sponsaliorum disparitas, ut in Evangelicorum Consistoriis hucusque in æstimando Sponsaliorum nexu utramq; paginam ef-



ficiat. Quò verò de effectu illorum sponsaliorum diverso accuratiùs constet, quidnam propriè per Sponsalia de futuro & de præsentì intelligant Canonistæ, ex ipsorum sententiâ exponendum.

## §. XVII.

*Sponsalia  
de præsen-  
ti quanam  
sint?*

*Quatuor  
Casus pro-  
ponuntur.*

Sponsalia de præsentì à Canonistis dicuntur illa, quando per verba præsentis temporis quis testatur, se foeminam illam uxorem habere velle, & vice versa, E. gr. *Ego te duco in uxorem; ego te accipio in maritum.* Sponsalia verò de futuro, quando sibi invicem futurum matrimonium promittunt, ut hoc per verba obligatoria concipiatur, e. gr. *ego accipiam te in uxorem, vel, ego, promitto tibi me te ducturum in uxorem.* Cum verò variis formulis verborumq; conceptionibus ejusmodi Sponsalia contrahi soleant, variis etiam distinctionibus hic utuntur Canonistæ. Thomas Sanchez *Tract. de Matrim. lib. I. Diss. 18. n. 9.* quadrupliciter distingvit, dicendo: Quædam sunt de præsentì, vel de futuro quoad sonum & significationem; ut *accipio vel accipiam te in meam*: Alia quoad sonum & significationem de præsentì, sed propter aliquod adjunctum fiunt de futuro, ut *accipio te in crastinum*: Alia de futuro quoad sonum, sed de præsentì propter aliquod adjunctum, ut *ex nunc te habebo in meam*: Tandem alia sunt dubia, quem sensum efficiant; ut *volo te habere in uxorem, vel esse meam*. Primò casu si verba sint quoad sonum & significationem de præsentì verum adesse matrimonium, *d. Diss. 18. n. 10.* secundo casu tantùm adesse Sponsalia de futuro, propter adjectum crastinum tempus, *id. n. 11.* Tertio casu  
ite-



iterum adesse matrimonium, propter adjectam particulam *Ex nunc*, arg. *C. Ex parte 9. X. de sponsal.* Sanchez. *d. l. n. 14.* Quarto casu rem dubiam esse dicit, variasq; opiniones adducit, & tandem concludit, *n. 25.* saltem Sponsalia de futuro, non verum matrimonium contrahi, cui sententiæ in adductis casibus pariter subscribit Thom. Tamburin. *Theol. Moral. lib. 8. Tr. 3. §. 3. n. 7. seqq.*

## §. XIIX.

Apparet autem exinde, ad verba quidem respicere Canonistas, si de præsentis Sponsalia describere velint. *Vera differentia ostenditur*  
 At verò negari nequit, etiam per verba præsentis temporis Sponsalia de futuro apud ipsos contrahi posse. Quare hic omninò distinguendum inter Consensum præsentem in nuptias, & consensum præsentem in Sponsalia. Ille Canonistis Sponsalia de præsentis; hic de futuro facit, quod exemplis declarandum: *Accipio te in uxorem, & accipio te in Sponsam.* utrobiq; verbum præsentis temporis adest, posteriori tamen casu saltem Sponsalia de futuro apud Canonistas contrahuntur. Quotiescunq; ergò verba non diriguntur in præsens matrimonium, toties non adsunt Sponsalia de præsentis. Quotiescunq; autem verba de præsentis quidem adsunt, sed matrimonium ipsum differtur, toties de futuro erunt. Et huc pertinet exemplum §. *preced.* ex Sanchezio adductum; *accipio te in uxorem in crastinum;* ubi remanebunt Sponsalia de futuro, cum nondum adsit intentio in præsentis matrimonium contrahendi.

## §. XIX.

His ita suppositis, uti ex genuina Canonistarum sententia omninò supponi debent, sequitur, verissimam esse *De quibus Sponsalibus agat*



*c. 2. X. de  
Sponsal.*

esse Canonistarum sententiam, Textum nostrum *in C. Præterea 2. X. de Sponsal.* de Sponsalibus de futuro loqui, cum ibi non fides de præsentis, sed de contrahendo matrimonio fuerit data; & ea propter admitti posse sententiam Interpretum, qui in Sponsalibus de præsentis illum textum procedere negant. Quod si verò Sponsalia de præsentis more Doctoribus nostris consueto, explicentur, falsissimum erit, dict. cap. ad Sponsalia de futuro velle restringere, quod ostendendum erit inferius. Porro exinde verissimum evadit, rectissime Sponsalia de præsentis pro vero matrimonio reputari, non saltem sensu Juris Romani, *L. 30. ff. de R. J.* sed & sensu Juris Canonici, *C. Jus X. de Sponsal.*

§. XX.

*An dentur  
apud nos  
Sponsalia  
de præsen-  
ti?*

Verum & hoc confectarium inde pleno quasi fluit alveo: Hodie apud nos Sponsalia de præsentis in sensu Juris Canonici vix ulla dari, cum vix dari possit casus, ubi inter Sponsalia & matrimonium non intercedat una alterave dies; Sed illa tandem erunt vera Sponsalia de præsentis, quando in facie Ecclesiæ desponsati denuò interrogantur; an alter alterum conjugem accipere velit? Tunc enim reverà adest purus consensus in præsens matrimonium. Porro de præsentis existunt Sponsalia, si post illa contracta, concubitus accesserit, cum eo ipso præsentem matrimonii consensum abundè testentur. Gerhard. *loc. de Conjug. §. 132.* Haveman. *Gamol. L. 1. Tit. 10. p. 114. Reg. 3.* Si dixeris: utrobiq; tamen adhuc copula sacerdotali opus est: Resp. concedo, verum non ut fiant conjuges, sed ut tales declarentur & precibus DEO commendentur. Non enim hic prolabendum est ad

*Quid de  
Copula Sa-  
cerdotali?*

Pon-



Pontificiorum hypothefin, qui per verba de præfenti quidem matrimonium constitui dicunt, fed non Sacramentum; utpote quod demum accedente copula facerdotali perficitur; quamvis & hoc paffu à fe invicem difsentiant. Bellarm. *de Matrim. L. 1. c. 6.*

## §. XXI.

Distinctionem verò illam inter Sponsalia de præfenti & de futuro primo omnium impugnare cœpit B. Lutherus, in *Libello vom Ehefachen / Tom. VI. Witteberg. fol. 260.* Cum enim probè adverteret, verborum diverfitatem præfentis & futuri temporis idiomatici Germanico vix quadrare, quod perinde Germani confenfum præfentem exprimant, five dixerint: *Ich nehme dich zum Weibe*; five: *Ich wil dich zum Weibe nehmen*; add. Cypræus *de Sponsal. c. 4. § 8. n. 3.* rejiciendum illud discrimen effe cenfuit. Poftea tamen tolerari poffe illam diftinctionem dicit Lutherus, fi Sponsalia de futuro reputentur illa, ubi confenfus fub certa conditione fufpenfus; ubi verò pura promiffio, ibi effe Sponsalia de præfenti, conf. Gerhard. *Loc. de Conjug. §. 130.* Carpz. *Pr. Crim. P. 2. qu. 56. n. 23. feqq.* Paulò aliter illam diftinctionem explicandam cenfet Theodor. Beza *Tr. de repud. p. 6. feq.* quamvis & ipfe nimium verbis præfentis & futuri temporis indulgeat, & Sponsaliorum Sponfiones cum ipsis Sponsalibus confundat, obfervante Brouvvero, *de Jur. Connub. lib. 1. c. 2. n. 9.*

Lutheri  
Sententia  
de diverfi-  
tate Spon-  
saliorum.

## §. XXII.

Retenta ergò fuit in Ecclefiis Evangelicis illa B. Lutheri fententia, & ex eò tempore aliter, quàm Jure

Quomodo  
hodie ad-  
mittatur?

Ca-



Canonico Sponsalia de præsentibus & de futuro explicari  
 coeperunt; qua propter negotium hoc ex recepta inter  
 nos sententia jam exponendum. Sponsalia de præsentibus  
 sunt, ubi præsens adest consensus Sponsalitiis; De futuro  
 autem, ubi consensus Sponsalitiis nondum præsens ad-  
 est, Lauterbach *ad tit. ff. de Sponsal.* Eckold *ad d. t. ff. n. 2.*  
*aliq. passim;* quod vel contingit, ob defectum faculta-  
 tis consentiendi, quorsum pertinent Sponsalia impube-  
 rum, quæ quibuscunque etiam concepta sint verbis, ta-  
 men de futuro manent, *t. t. X. de despons. impub.* Vel  
 quod expressè in certum eventum consensus suspenda-  
 tur; quorsum pertinent promissiones conditionatæ, vel  
 in diem certum dilatæ. Ubi tamen iterum interest, an  
 illa dilatio consensus concernat ipsam obligationem  
 Sponsalitiæ, an matrimonii consummationem. Po-  
 sterior enim hoc non impedit, quò minus purè contra-  
 cta dici possint Sponsalia, E. G. si Sponsalia contrahan-  
 tur, hoc pacto, ne ante lapsum biennii ad consumman-  
 dum matrimonium obligetur.

## §. XXIII.

*Subjicitur  
 vera sen-  
 tentia.*

Mihi verò semper visum fuit, aut plane rejicien-  
 dam esse hanc distinctionem, sicut & à variis Dd. illa  
 rejicitur; aut aliter explicandam esse, & quidem se-  
 quenti modo: Aut promittuntur Sponsalia: Aut  
 promittuntur Nuptiæ: Aut consentiunt in præsens  
 matrimonium. Ad hæc membra reduci poterit &  
 Canonistarum sententia, & ratio distingvendi Sponsa-  
 lia in nostris Ecclesiis retenta. Quæ ipsa commodè  
 satis



fatis etiam idiomate Germanico distingvi possunt: Ich verspreche hiermit / daß ich mich mit sie Verloben wil: Ich verspreche hiemit / daß ich sie Heyrathen wil: Ich nehme sie hiemit zu meiner Ehefrau an. Primo casu reverà contrahuntur SPONSALIA de FUTURO, & hæc ea propter describo, ad imitationem Florentini Jcti, quod sint *mentio & repromissio futurorum Sponsaliorum*. Horum Jure Rom. nullibi fit mentio, fundamentum tamen omnino in eodem jure habent. Sicuti enim pactum de vendendo ab ipsa venditione; venditio verò consensu expedita, ab illa, quæ per traditionem consummata, plurimum distat; ita quoque inter pactum de ineundis Sponsalibus; inter Sponsalia ipsa consensu expedita, & inter Sponsalia actu consummata necessariò admittenda est diversitas; quo argumento etiam utitur Hahn. *ad Wesenbec. tit. de Sponsal. n. 3.* Et priorrem illam diversitatem, inter pactum de despondendo & ipsa Sponsalia, agnoscit etiam Brouvver. *de Jure Connub. lib. 1. c. 2. p. 9.* Beza *de Repud. p. 6. & 7.*

*Sponsalia de futuro que nam proprie sint?*

#### §. XXIV.

Quare non confundendi sunt tractatus de Sponsalibus cum Sponsalibus de futuro; Sanè tractatus in nullo negotio Juris vinculum inducunt, cum longè alia ratio sit tractatum & contractuum, Francisc. Niger Cyriac. *Contr. forens. 452. num. 16. seqq.* Alexand. *lib. 1. Conf. 28. n. 3.* Unde nec tractatus de Sponsalibus pro Sponsalibus de futuro haberi queant: Quamdiu enim de Sponsalibus adhuc celebrandis agitur, tam diu nulla adest promissio, & sic nec obligatio. Qvippe omninò

*Tractatus Sponsaliti an sint Sponsalia de futuro?*

D

mninò



mninò verum est : Eine Anwerbung macht keine Verbindung / sed Sponso semper resilire fas est , antequam responsum à Sponsâ vel ejus Parentibus receperit. Quod si verò quis fidem jam alteri dederit, se cum illa contrahere velle Sponsalia , nexus aliquis jam tum adest , qui quidem Jure Rom. ob denegatam nudo pacto efficaciam nullius momenti ; apud nos tamen hæc promissio pro penitus invalida ea propter reputari nequit, cum ex omni pacto efficax nascatur actio æquè valida, quàm si stipulatio intervenisset.

## §. XXV.

De promissione, se nullam aliam quam hanc, ducere velle.

Et ex hoc jam decidendum erit , an aliqua ad sit obligatio, si quis virgini fidem dederit, se cum nullâ aliâ Sponsalia contracturum, quàm cum ipsâ. Certum enim est, hoc casu præsentem obligationem Sponsaliti- am nondum adesse ; hinc , ut ut summopere disputent Moralistæ, communiter tamen concludunt , talia casu non contrahi Sponsalia, Sanchez de Matrim. lib. 1. Disp. 19. n. 5. Gutierrez. Canon. Quest. lib. 1. c. 21. num. 13. Incriminari negari nequit, ex hoc pacto : Wenn ich Heyrathen solte / so wolte ich keine andere haben / als sie / obligationem virgini, hanc promissionem acceptanti, & repromittenti, quæ sitam esse, non quidem, ut ille cum hac sive Sponsalia pura, sive nuptias contrahat ; At tamen, si ille juvenis postea aliam sibi despondere velit, interpellare meritò & impedire hæc Sponsalia possit, ob jus ex pacto sibi quæsitum, Gutierrez d. n. 13. Sanchez d. Disp. 19. n. 8. Add. Besold: Thesaur. pract. Sub Voc. Wollen p. 1009. Ex quo exemplo satis abundeque constat, quantum



tum inter tractatum de Sponsalibus, & inter promissionem futurorum Sponsaliorum interfit. Et huc iterum quadrat argumentum à pacto, de re non alii, quàm mihi vendenda, desumptum, quod quamvis ipsum non obstringat, ut mihi rem vendat; eatenus tamen efficax est, ut si quis illam rem alteri vendere velit, ego vi illius pacti, quam ex moribus habet, alium emptorem impedire possim, quippe cum notissimum sit, tali pacto acquiri jus Protimiseos.

## §. XXVI.

Jam sequuntur illa Sponsalia, ubi adest præsens consensus Sponsalitiæ, & hoc intuitu Sponsalia juris Rom. non de futuro, sed de præsentis sunt dicenda, licet ratione instantis matrimonii vulgò dicantur de futuro; & huc refero Florentini descriptionem: *Quod sint meretia & repromissio futurarum nuptiarum*, quæ Sponsalia de præsentis pariter vocat Cypræus *de Sponsal. C. 2. §. 3.* Quâ ratione intelligenda communis Doctorum sententiæ, dicentium; Jure Romano nulla Sponsalia dari de præsentis, sed omnia esse de futuro: Admitto enim hoc, si de futuris nuptiis quæstio sit; nexus tamen Sponsaliorum omninò præsens est. Ubi verò præsens obligatio Sponsalitiæ, ibi quoque Sponsalia de præsentis, sive *ex nunc* obligatoria adsint, necessum est.

*Sponsalia  
Jura Civili  
an sive  
de præ-  
sentis?*

## §. XXVII.

Quorsum ergò tandem conditionata referenda erunt Sponsalia? sanè in his non promittuntur Sponsalia, sed jam contracta sunt, & consensus saltem in casum aliquem dilatus. Virum cum conditio nihil ponat, & ex notissima Juris regula, illud, quod pendet, non

*De Condi-  
tionatis  
Sponsali-  
bus.*



habeatur pro eo, ac si esset, *l. 169. §. 1. ff. de R. J.* meritò illorum sententia retinenda, qui Sponsalia conditionata pro futuris reputant, cum in præsentì nulla adhuc dum obligatio Sponsalitia adsit, sed ex futuro eventu dependeat. Interim verum omninò est; Ex Sponsalibus etiam conditionatis adesse nexum quendam Sponsalitium, non quidem ut pendente conditione altera pars compellatur ad consummandum matrimonium; sed ut altera pars adstringatur ad expectandum conditionis eventum, nec interim ipsi cum alio Sponsalia celebrare fas sit, *Carpz. Jurisprud. Eccles. lib. 2. def. 21.* Huc applicari meritò possunt jura de conditionali obligatione disponentia, quod, licet nec cesserit nec venerit dies *L. 213. ff. de V. S. &* hoc sensu nulla obligatio adesse dicatur, *l. 37. ff. de contr. empt.* nihilominus eventum expectare teneantur contrahentes. Eveniente enim conditione retrahitur illa ad principium contractus, & ita obligatio conditionalis purificatur, *L. si filius 78. ff. de V. O. L. necessariò §. 1. ff. de peric. & comm. rei vend. L. 36. ff. de rebus cred.* Nullus ergò in contractu conditionali poenitentiae locus est, quamdiu pendet conditio, sed spes illa obligationis etiam ad hæredes transmittitur *§. 4. de V. O.* si modò ipsa obligatio, qualis Sponsalitia est, non sit personalissima; & hinc rectè B. Lutherus *Libell. vom Ehesachen p. 260.* Sponsalia conditionata servanda esse asserit, nisi gravissimæ causæ superveniant.

*An hic locus poenitentiae?*

*Sponsalia de præsen-*

### §. XXIIX.

Tertium distinctionis nostræ membrum §. XXIII. propositum, jam excutiendum, ubi contrahentes in præ-



præsens matrimonium consentiunt: E. G. *Ego te accipio uxorem; illa verò; & ego te accipio maritum*, de qua loquendi formula & efficacia vocis *accipere*, eleganter egit Cyprius. *de Sponsal. c. 4. §. 6. & seqq.* Scilicet illa voce Romani quondam consensum nuptialem declarabant; nec enim existimandum est, quamvis & nostro Jure civili consensus faciat nuptias, *L. 30. ff. de R. J.* eandem fuisse rationem exprimendi consensus Sponsalitiæ & nuptialis. Et hunc promittendi modum Canonistæ vocant *Sponsalia de presenti*. Verùm cum ipsi fateantur, contrahi hac ratione matrimonium, meritò alii asserunt, non amplius Sponsaliorum nomen illi conjunctioni tribui, sed matrimonium dici debere. Rarò quidem hæc concurrere solent, ut uno quasi momento foemina & Sponsa & uxor fiat, de quo Brouvver *de Jure Connub. lib. 1. c. 2. n. 9. vers. quod dicunt*. Fieri tamen hoc posse, nemo negaverit, utpote, si in certum diem differantur Sponsalia hoc pacto, ut mox matrimonio sibi jungantur. Et quamvis hoc castitas nostrorum temporum vix patiatur, ubi non sine proclamatione permittuntur nuptiæ: Attamen non de sunt exempla planè illustria, ubi eodem die & Sponsalia & nuptiæ celebrata. De talibus ergò Sponsalibus abusivè sic dictis, verissima est sententia, illa esse ipsum matrimonium, declarandum saltem per sacerdotalem benedictionem. Et ad hanc speciem Sponsaliorum (quamvis improprie sic dictorum) referenda sunt, quæ Dd. Sponsalibus nostris de presenti, minus cautè interdum, adscribunt.

*si qua sint  
Jure Ca-  
nonico?*

*An apud  
nos den-  
tur?*

D 3

§. XXIX.



## §. XXIX.

*Que in  
Consisto-  
riis de  
præsenti  
dicantur?*

*Applica-  
tur ad c. 2.  
X. de  
Spons.*

Jam progressus nobis facilius erit ad specialiora, adductis modo fundamentis applicanda. Et neminem inter nostros jam esse reor, qui non concessurus sit; Quoties purè & sine omni conditione fides data de contrahendo matrimonio, toties Sponsalia de præsenti in sensu Consistoriorum nostrorum esse contracta: Nihil enim amplius exigunt, quotquot ex Nostratibus de Conubiorum jure egerunt; quod cum vulgò notum sit, aliorum autoritatibus ostendere supervacuum fore existimo. At qui verò de illius generis sponsalibus κατὰ τὸ ῥητόν agit textus noster in C. Præterea 2. X. de sponsal. ut mirari non satis possim, quare Doctores nostri illum textum nostris Sponsalibus de futuro applicent, & exinde poenitendi facultatem evincere conentur, quod facit Carpz. lib. 2. d. 18. n. 1. Joachim. à Beust. de matrim. p. 13. cum tamen ibi perspicuè agatur de Sponsalibus nostris de præsenti, hoc est, purè & sine omni conditione contractis. Hic verò poenitendi licentiam concedere velle alterutri, nihil aliud esset, quàm facultatem fallendi fidem Sponsalitiā indulgere.

## §. XXX.

*Sponsalia  
de futuro  
an tollan-  
tur per il-  
la, que*

Exinde non obscurum fore arbitror, quid sentiendum sit de receptissimâ illa in foro pariter & Cathedra, opinione; Sponsalia de futuro tolli per sponsalia subsequentiâ de præsenti. Quamvis enim non

ne-



negandum, sententiam hanc in Jure Canonico fundatam esse, C. 22. X. de Sponsal. non tamen illa in Consistoriis admittenda est. Ipse B. Lutherus *loc. cit.* incusat Pontificiorum mores; *Daß sie lauter Narrenspiel getrieben haben / cum verbis de presenti, vel de futuro, und damit viel Ehen zerrissen.* Ergo sanctior apud nos esse debet etiam Sponsaliorum de futuro nexus. Unde non admittendum, quod Carpz. *Lib. 2. d. 18. n. 3.* afferit: *Nostrates parum curant Sponsalia de futuro, non solum, quod effectu suo genuino destituantur, dum scil. contrabentes non firmiter obligant; sed etiam, quia in lingua Germanicâ non accuratè semper verba de futuro distinguuntur à verbis de presenti.* Si enim illa Sponsalia de futuro intelligit, de quibus in nostro C. *præterea 2. X. de Sponsal.* ad quem textum ibi provocat, illa sanè in nostris Consistoriis sunt de præsentibus, & hinc validissimè obligant: Si verò ad pactum de futura desponsatione respicit, nec hic obligationem abesse evicimus supra §. XXIII. sq. Quod si tandem simplices tractatus Sponsalitos pro Sponsalibus de futuro supponat, illa nec Sponsaliorum nomen merentur, *vid. supra §. XXIV.* nec textus ab ipso allegati ad illum casum quadrabunt, in quo subinde à Dd. aliis etiam peccatur, quod Decisionem textuum Juris Canonici retineant, quo sensu tamen illud Jus Canonicum asserat, non attendant, unde non nisi incongrua illius Juris applicatio nasci potuit.

§. XXXI.



## §. XXXI.

Inquiri-  
tur in ra-  
ssionem.

Quare autem Sponsalibus de futuro præferenda sint illa, quæ de præsentibus appellant, Theod. Beza Tr. de Repud. p. 7. sequentibus explicat: Post ejusmodi Sponsalia de futuro duntaxat, si quis aliam sibi verè despondit, rata erit posterior promissio: ac proinde prior, quod ad obligationem attinet, vana fuisse declarabitur, quoniam aliud est re ipsa sese obligare, quam faciendam obligationem promittere. At enim, inquit, quantumvis simplex promissio conscientiam ligat. Neque verò infior longè rectius facere, qui fidem quoquo modo datam præstet, quantum in se est, præsertim si iusjurandum interpositum sit: ac gravem etiam reprehensionem in Ecclesia mereri, qui mutata voluntatis causam idoneam non afferet: imò etiam in foro justè damnari, quanti intererat, promissionem illam impleri, si in culpa fuisse deprehendatur. Sed tamen eum, qui tantum futuram obligationem promittat, existimo videri posse omnino, quum tacitè saltem sibi spatium ad ampliore deliberationem petat, liberam sibi facere mutandi consilii facultatem, quod in isto præsertim tantimomenti contractu merito observatur, ut ex ejusmodi pollicitatione præcisè obligatus vi-



*videri non possit*; Quibus verbis eatenus subscribendum censeo, quatenus promissionem desponsationis pro Sponsalibus de futuro reputat, & concedit illam simplicem promissionem conscientiam obligare; addendum existimo, obligare illam etiam in foro exteriori, propter efficaciam pacti hodiernam. Quod si hoc, sane jus habebit virgo, cui promissio facta, urgendi, executionem pacti, & ita impediendi desponsationem alterius. Vieni illius pacti facultatem se alii obligandi amisit Sponsus, pari modo, sicut antea §. XXIII. pactum de vendendo, extraneum emptorem repellere dixi. Si ergo jus Sponsalia inveniendi non habuit amplius, quo juris prætextu, si hoc de facto fecerit, nova hæc desponsatio sustinebitur? Aliud omnino foret, si actu contraxisset matrimonium; ibi enim eatenus pro posteriori conubio pronuntiandum, quatenus res posteriori vendita & tradita, actionem priori emptori aufert ad rem ipsam consequendam, per *L. quoties 15. C. de R. V.* Salvam tamen ipsi actionem ad interesse conservat: Et hujus Interesse refusionem rectè hic locum sibi vindicare, asserit Beza; quod tamen alii plerumq; omittunt, qui nullam Sponsaliorum de futuro obligationem agnoscunt, quod si verum foret, omnino etiam interesse præstatio cessaret. Quare ad minimum pronuntiandum esse existimo; si Sponsalibus de presenti palma concedenda, antecedentem tamen à Sponsalibus de futuro, sive à promissis Sponsalibus, ad interesse refundendum priori Sponsæ obligatum esse.

E

§ XXXII.



## §. XXXII.

*Sponsalia  
pura, an  
preferen-  
da Condi-  
tionatis  
prioribus?*

Eandem meretur censuram, & illa pariter recepta opinio: Sponsalia pura posteriora præferri conditionatis anterioribus; Carpz. *l. 2. def. 70. qv. n. 7.* illud extendit, quamvis illa conditio extiterit; qva in parte secutus est Canonistas, Panorm. *C. per tuas X. de condit. appof.* cui communiter ad stipulantur alii, Bechstad. *de condit. Sponsal. P. 1. cap. 3. n. 9.* Beust. *de Sponsal. c. 19. §. Cæterum.* Schneidevvin. *Tit. de Nupt. P. 1. n. 37.* Maufer. *de Matrim. p. 301. verb. Nunc est visus.* Facile admitti posset hæc sententia, si supponeremus, ex Sponsalibus conditionatis planè nullum nasci vinculum; Verùm jam superius §. XXVII. demonstratum est contrarium. Ergo non permissam erit, pendente conditione aliam sibi respondere, quod exemplo venditionis iterum evadet manifestissimum. Domus Titii sub conditione vendita; pendente conditione porro eadem venditur Mevio, postea existit conditio, quaritur, quis ex emptoribus potior? sine dubio pro conditionali emptore pronuciandum, suppono enim iterum, domum posteriori nondum esse traditam; alioqui enim obtinebit decisio *L. quoties 15. C. de R. V.* Aliud argumentum desumi potest ex re uni pure, alteri sub conditione obligata, ex *L. 11. §. videamus ff. qui pot. in pign.* Regeri quidem pro posteriori desponsatione pura potest: Retractionem conditionis sibi non amplius locum vindicare, postquam intervenit impedimentum retractionem impediens. Respondeo tamen, illud impedimentum debere esse legitimum; atqui verò tale non erit, quod de facto refragante Jure intervenit; imò



imò nihil egisse censendus est, qui jure resistente contra-  
xit, arg. *L. Non dubium §. C. de LL.* Quo ipso corrumpitur ratio,  
quæ in contrarium urgeri solet; quod, cum Sponsalia  
conditionata pendente conditione nullam obligatio-  
nem inducant, sequatur, Sponsalia purè interim con-  
tracta mox esse obligatoria, & hinc tanquam prima, scil.  
quoad vim obligandi, conditionatis esse præferenda.  
Destructâ enim potestate, se pendente conditio-  
ne obligandi, nulla interim obligatio, & per consequens  
nec Sponsalia contrahi potuerunt. Et huic sententiæ  
subscribit Cypræus *de Sponsal. c. 8. §. 3. n. 3. seqq.* & B. Lu-  
therum consentientem adducit, qui nexum Sponsalio-  
rum conditionatorum satis agnovit.

## §. XXXIII.

Ita ergò Sponsalibus in universum omnibus suam  
asseruimus obligandi efficaciam, sive de præsentibus, sive de  
futuro, sive pura, sive conditionata sint. Id saltem adhuc  
disquirendum restat; An eadem obligandi vis in sit  
Sponsalibus clandestinis? Non hic intelligo illa, quæ ob  
defectum consensus paterni clandestina dicuntur; hæc  
enim omni jure illicita sunt, & hinc obligandi vim ha-  
bere nequeunt. Sed intelligo Sponsalia inter personas  
habiles, remotis testibus clam contracta. Hæc ipsa, si jus  
naturæ vel divinum respicias, pariter obligant, quæ ma-  
triamalia, cum modus declarandi consensum Sponsalitiū il-  
lo jure determinatus non sit; Imò nec jure Rom. ullâ le-  
ge hoc Sponsaliorum genus interdictum, fortè, quod i-  
bi parum referret, an clam, an palam Sponsalia contra-  
cta, cum nec publica pœnitentiam illo jure excludant,

*De obliga-  
tione Clan-  
destin.  
Sponsal.*



per *L. i. C. de Sponsal.* Alit verò postquam illa pœnitendi facultas legibus hodiernis remota, quod ex clandestinis desponsationibus, ob defectum probationis; multa oriuntur incommoda, dum sub hoc prætextu pudicitia virginali insidias struendi, & postea desponsationem negandi, supeditatur occasio, generaliter clandestina Sponsalia iâ Jure Canonico, quàm Constitutionibus Consistoriorum nostrorum interdicta, vid. *Cypr. de Sponsal. c. 10. §. 1. seqq.* *Gerhard. de Conjug. §. 142.* *Heig. P. 1. qu. 22.* quo ipsò obligandi efficaciam, quam per se habebant, amiserunt, cuius causas suggerit *Carpz. lib. 2. Jurisprud. Consist. def. 33.* Solida autem ratio hæc est, quòd Princeps modum præscribere possit actionibus civium, adeò, ut illo non observato, actus reddatur nullus per *L. Non dubium 5. C. de LL.* Ex qua lege apparet, etiam juramentis futuris obligandi vim subtrahere posse Principem; cur ergo non etiam Sponsalibus contra expressas leges contractis?

## §. XXXIV.

*Conclusio.*

His ita suppositis, ad ipsum Dissensum Sponsaliti-um accedendum foret propius, & Sectione II. *De dissensu unius Desponsatorum*, Sect. III. *De Dissensu mutuò desponsatorum*, exponendum, quo usque Sponsis utroque casu dissentire fas sit, & in quantum vi externâ ad consummandas nuptias compellendi sint refractarii; Verùm hæc ad sequentem, volente Deo, reservamus Disputationem.

Interea nuncupantes

S. D. G.




05 A 990

ULB Halle

3

003 754 871




Vent











B. V.  
RIS CANONICI,  
DE

# U SPON- TIO

X. de Sponsal.

m  
mo 7 Ctorum Collegio  
WITTEBERGENSI  
SIDE

## STRYKIO, D.

nfiliario Elect. Saxon.

Facultatis Juridicæ  
NARIO.

### VENERANDO

RIO MAIORI.  
M DC XCI.

n examini submittet

## JEL STRYKIUS,

March.



na JOANNIS VVILCKIL

J 2142

